

quæ id muneris obeant. Itaque nullatenus humana ope carebunt, licet non semper præsentés habeant, quas tempore sanitatis habere solent, exemplo earum, quæ propter elephantiasin ab hominum consortio separatæ sunt. Nihil igitur ampliùs requirant ab aliis, quàm alias ab ipsis in hoc statu rerum postulare vellent. Sic enim charitas iubet, non quærere quæ sua sunt, si absque damno & periculo proximi fieri nequeat.

De ædificiis publicis Læmodochiis vocatis instaurandis.

C A P V T I I.

POLLICITVS sum præcedenti capite, me rationem traditurũ, qua illis, qui ex infectis ædibus egredi malunt, vel ægris, qui cupiant mutare aerem, vtiliter consulatur. Quod vt aptè & prudenter fiat, aliquid maius & sumtuosius moliendum est nostris Conseruatoribus. Volo enim, vt duo factis ampla, atque omni ex parte ad rem apta ædificia, læmodochia nominanda, construantur, ex materia idonea, in loco aerisq; tum ipsis, qui vtentur, tum ciuitati opportunis: ita tamen vt non tam splendor, quàm commoditas quæratur,

tur, & sumtus sit mediocris, vsúsque necessarius: de quibus singulatim breuiter agendum est.

Ac primùm materiam quod attinet, erit illa *Materia*
non argilla, lutum, cespites aut stramen, sed li- *Læmodoc.*
gna, lapides, calx: quòd in illis putredo faciliùs
accidat, & contagium diutius hæreat, quàm in
his.

Secundò de loco ac situ, cui annexus est aer, *Locus.*
istud obseruandum est, vt vel in vrbis remota a-
liqua parte, vel, quod malim, extra vrbem sit,
non humilis, sed apricus ac editus, & si fieri po-
test, ad flumen. Remotio enim ab aliis, contagij
impedimentum præstabit: sublimitas aerem da-
bit salubriorem, & Solem, qui omnia recreat,
magis obuium: flumen verò vniuersas excipiet
sordes & excrementa, quæ in eiusmodi domici-
liis affatim solent coaceruari. Huc quoque perti-
nent ampla in procinctu pomæria, viridaria,
horti, in quibus salubres arbores, iucunda gra-
mina, odoriferæ herbæ, flores suauiter & latè
spirantes, salientes demum aquæ adsint.

Ratio verò & forma ædificationis ea medi- *Forma.*
tanda, quam, vt dixi, commoditas & necessitas
desiderent, non magnificentia. Seruanda ergo
ea amplitudo, quæ proportionem non Geome-
trica, sed arithmetica respondeat ciuitati. Alti-
tudo sit duplo maior latitudine. Sint quo-
que intus cubilia mediocri amplitudine, in-
structa caminis, perflabilia, non obscura, ne-
que conclusa, Fenestræ, vt & totum ædificium,

*De vulgari-
ribus noso-
dochiis.*

patentes magis Aquiloni & Orienti, quàm Au-
stro vel Occidenti, adsint & balnea, quorum ma-
gnus in causa nostra usus est. Atque hæc tota stru-
cturæ ratio ad multa pertinet, & manifestè ostē-
dit, quàm grauis sit eorum error, qui vulgaria
nosodochia ita instituunt, vt ventus non possit
penetrare: quo nulla res in hoc maximè morbo
perniciosior cogitari possit. Nec mirum est, si sæ-
pe pauperculus huc delatus tantò citiùs occum-
bat. Nam etsi non hac lue, sed vel alio quouis le-
uiori morbo, vel etiam simplici febre laboret: ta-
men impuro illo aere exceptus, fœdis, fœtidisq;
vestimentis & lectis stratus, quasi suffocari &
violenter mori videbitur. Non dicam nunc,
quàm parum prudenter cibo potùque, & aliis
rebus necessariis, iis qui hîc decumbunt, sæpe
consulatur. Cuius negligentia rationem reddet
Deo, qui his officiis præfecti tam perfidè agunt,
cùm nō exigua causa sint miserorum ægrorum
interitus. Adhibenda ergo diligentia, si quidem
fieri potest, vt omnia eiusmodi domicilia ad tor-
rentem aliquem instaurentur, & in loco (vti di-
ctū est) vento & aeri exposito, vt perflari queat,
& res inquinatæ sæpe elui & mundari possint.
Impurus enim aer etiam sanis plurimum potest
obesse, quod experientia quotidiana ostendit.
Item in altiori loco extruenda dixi, cum multis
fenestris, præsertim qua parte Septentrionem,
vnde salubrior aura est, spectat. Fenestras etiam
crebrò aperiendas esse, admonitione non eget:

res enim ipsa id docet. Quæ omnia si nō obseruā-
 tur sedulo, plus damni, quàm commodi allatu-
 ra fuerint, & consultius esset igne succendi (lo-
 quor de vulgaribus nosodochiis) eiusmodi pe-
 stilenti statu, quàm cum damno ferri, vt est non
 tantum medicorum, sed & philosophorum, &
 in Rebus prudentium virorum consilium. M.
 Varro cum aliquando Corcyræ esset, & passim
 in omnibus ædibus ægroti decumberent, indu-
 cto fenestris nouis Aquilone, atque obstructis
 quæ austrum solent admittere, permutataque
 domus ianua, comites suos & totam familiam
 incolumes seruasse scribitur. Sic Tholosa Aque-
 taniæ vrbs, episcopatu, academia, & summa cu-
 ria nobilissima, cum ferè perpetua peste infesta-
 ri soleret, quòd ædes in summo versus plateas
 publicas propendiculis quibusdam (sub quibus
 tuti à pluuia ingrediuntur) constructæ impedi-
 rent euentilationem, edicto regio omnibus in-
 colis mandatum est, vt non tantum illas propē-
 dices remouerent, sed ædes etiam ipsas quæ ni-
 mium viderentur publicam viam coarctare,
 ab imo vsque ad fastigium præputarent, & con-
 traherent. Mirāda industria celeri actione quis-
 que instat operi, dixisses totam urbem voluisse
 excindere & renouare. Quid verò effectum? Di-
 cam quod verè dicere possum, oculatus enim
 fui testis, ventis liberiori parato aditu, vapo-
 rū exhalatio difflatioque pulchrè fuere procu-
 rata, pestilentiæque solito longè infrequentius

Tholosa
Vrbs Aque-
taniæ.
Leu. Lc. 3.
de occ. nat.
mirac. 3.

ciuitatem infestauit, & leuius afflixit. Rarum prudentiæ exemplum, quod licet non fieret absq[ue] ingenti sumtu, tamen sicubi res postulauerit, imitatione non indignum est, nostris in primis læmodochiis, in quorū institutione facilius caueri poterit, vt ita ædificentur, ne diruere postea sit opus.

*De pernici-
cie aeris
conclusi.*

*In append.
ad fin. 9. ca.
& lib. 1.*

Ac quoniam semel ingressus sum dicere de perniciæ aeris conclusi, operæ pretium me spero facturum, & lectori tædium leuaturū, si pauculas quasdam, & quidem horrendas de ea re historias adduxero. Apud Hier. Cardan. de variet. rerum sic legitur: Vigesima tertia Iulij die, anni 1556 accidit res mira, cui ego interfui: Iacobus Philippus Cernuscus mēse ab hinc exacto, cloacam sub terra effodi & concamerari iubet, fornicibus extructam. Vbi perfecta est, vt fornix consolidaretur, concludi iubet. Post viginti dies aperit, iubet vt lignei arcus extrahantur: descendit conductor scala immissa, vbi ad medium scalæ peruenit, concidit mortuus. Dominus cum videret illum non reuerti, & ipse descendit, ac vbi eò peruenit, statim concidit. Adstantes tertium immittunt, qui cum in medio scalæ esset, dixit: Bono animo estote, etiam reliquos educam: sed vbi sub fornice caput eduxit, statim mortuus concidit. Concidit & quartus. Quintus, qui vocabatur Matus (sonat nostra lingua stolidum) vir admodum robustus descendit, sed caput non condidit, vncòque extraxit vnum è mortuis.

Inde

Inde factus audacior, rediit, descenditque eò dum
 vt caput conderet, statimque corruit. Hunc ex-
 tractum adhuc spirare deprehendentes, paula-
 tim auxiliis adhibitis reuocauerunt ad vitam,
 sensumque, mutus tamen ad sequentem ortum
 Solis mansit. Ego, cum loqui cœpisset, interro-
 gaui, sed ipse solum, quòd descendisset, recorda-
 batur: immiserunt & canem, semimortuus ex-
 tractus est. Detexerunt mandato Magistratus
 locum, tunc ex ore antri aqua scaturiens inspi-
 citur. Hæc Cardanus. Quoniam autem causa
 nulla certa apparebat, erant qui basiliscum inibi
 latitare arbitrabantur, qui vulgi opinione ouo
 è Gallo nato, & bufonis incubitu excubato cre-
 ditur: quòd ego libenter cum erudito & politif-
 simo scriptore L. Lemnio medico Ziricæo anile
 fabulam esse iudico: Cùm habitus potiùs virosi,
 pedor, situs, graueolentia, sceditasque sint, quæ
 è tetrīs horridisq; locis emanēt, spiritum inter-
 cipiant, atque hominem nonnunquam stran-
 gulent. Et si etiam aliquando venenatas bestias,
 quæ in huiusmodi cauernis delitescunt, id face-
 re, non est quod quis ambigat. Simile huic mihi
 olim est narratum à teste oculato, & omni exce-
 ptione maiori, videlicet reuerendæ memoriæ,
 illustrissimo, reuerendissimòque D.D. Georgio
 Duce Brunsvicensi & Episcopo Bremensi &c. de
 fonte quodam Petershagij (quæ est arx Episco-
 patui Mindensī subiecta) prorsus funeitam ex-
 pirate Memphitin, qui cùm à sordibus aliquando

*Lib. 4 de
 occ. natur.
 mirac. 12.
 Diosc. 6. ca.
 & in
 hunc Matt.
 ibidem.*

*Fons Pe-
 tershagij.*

expurgaretur, quicquid viuens immittebatur, mox suffocabatur, & per mortē (vt cum Plinio loquar) experimentum agebat, idq̄ eousq̄, donec tandem iniecto, incensoq̄ vase, pice nauali, herbisq̄ & floribus odoriferis referto, sic expiatus est, vt postea sine damno in eum esset ingressus, & scaturiente ipsius aqua, quiuis absque noxa vteretur. Cum his historiis congruit illa de lacu Puteolano prope Neapolim, in quem iniectus canis, exiguo temporis spatio moritur: si rursus extractum, in vicinum fluentum immergas, reuiuiscit. Item illa, quam egomet Menapis vidi, in dominatu Burchbrull (qui paret nobilissimo, & tam omni virtutū genere, quā profapix antiquissimæ, clarissimæq̄ laude præstanti Guilielmo à Braunsberg) de quadam cella vinaria recens extracta tam grauem odorem eructante, vt nulli vsui seruire posset. Sed plura huiusmodi adduci possent, si prolixitatem non vitarem. Ergo hæc satis sint de materia, situ ac structuræ forma: pergam de censu, numero & vsu, quæ necessaria sunt referre.

Lacus Puteolanus.

*Guiliel.
à Braunsberg.*

Quartò ergo de opibus, quibus læmodochia nostra instruenda sint, prouidendum: quæ quidem pro statu & viribus singularum ciuitatum semel constitutæ, paulatim, vt sperandum, bonorum hominum liberalitate fient maiores, & crescent indies. Quamuis non aliæ hinc diuitiæ quærantur, quàm quæ ad subleuationem eorū qui egent, & structuræ conseruationem necessa-
riz

riæ sint. Et quia non semper pestilentia grassatur, ob id neque annui sumtus faciendi erunt, nisi quod dixi, quâ tum ad reparationem requiratur: si quid supererit, id vel in futuram necessitatem reponetur, vel in aliorum egenorum vsum erogabitur.

Duo autem eiusmodi ædificia instauranda esse ab initio dixi, vnum videlicet pro illis, qui adhuc sani sunt, & tamen ob consuetudinem domesticam, quam cum ægris habuerunt, suspecti & metuendi: alterum verò pro iis, qui peste infecti decumbunt. Ac in reliquis quidem paria esse licebit, sed spatio conuenienti disiuncta. Nam etiam parietum procinctu, ac domuum contingencia & cõtinuatione multiplicari morbosam contagionem obseruatum est. Eo autem ordine disiuncta erunt, vt alterum alteri in recipiendo vento boreali, ac Solaribus radiis minimè officiat, neque impedimētum aliquod præbeat admittendæ liberæ auræ: præcipuè autem ne Auster ex ægrorum domicilio vllum fœtorem vel vaporem morbidum & pestilentem in sanorum fundum suo flatu deferat. Propterea etiam ex hac parte aut nullas esse, aut clausas fenestras, erit consultius.

Atque hinc iam quoque (quod postremo loco fuit propositum) vsus harum ædium apparet. Cùm enim morbum hunc omnibus modis vitandum censeamus, tanquam præsens & lethale

*Vsus larm
dochioria*

venenum, quod, nisi diligenter caueatur, certis-
 1. simè inficit, ob id prior finis nouæ huius structu-
 ræ erit, vt eos excipiat, qui velut lepra mortali
 infecti sunt, quo reliqui ciues tantò sint securio-
 res. Quod quanti sit momenti, si quis mihi cre-
 dere vult, qui neque mentiendi causam vllam ha-
 beo, & doleo multos esse, qui in suis libris valde
 mentiuntur (liceat mihi sic cum Galeno, sanòq;
 meæ conscientia testimonio loqui) pluribus ve-
 rissimis historiis, quas partim ipse vidi & vixi,
 partim à fide dignis audiui, possum demonstra-
 re. Cùm enim puer adhuc in vrbe Dauentria, v-
 bitum schola florentissima fuit, humanioribus
 literis operam darem, correptus est peste vnus
 inter scholasticos, qui ædes fratris incolebant,
 cognomento propter singulare corporis robur,
 Hercules, meus cõtubernalis, qui, quòd matu-
 rè in locum priuatum, ad quem aliis accessus
 non erat, remoueretur, nullus præterea hac lue
 fuit infectus, aut interemtus. Deinde quando
 Coloniae adolescens in artium collegio philoso-
 phiæ studerem, nobilis quidam commilito no-
 ster, vnus è multis, cùm nulla id temporis epi-
 demia ibi esset, peste interiit: nimirum quòd co-
 gnito eius morbo, ilicet in peculiarem & ad hoc
 destinatum locum deportatus fuerit. Tribus ab
 inde annis, cùm Lutetiæ in collegio Monachi
 habitarem, vidi inter duo puerorum millia, so-
 lum coquũ hoc morbo affectum, ac mox seor-
 sum in tuguriolum remotum, quod in amplo
 pomario

pomario ad hunc vsu erat ædificatum, occum-
 bere, reliquo cœtu prorsus incolumi permanē-
 te. Tandem Venetijs & Patauij præclarissimis
 in ciuitatibus, quarum sæpe meminisse iuuat,
 quando illic medicorum scholas frequētarem,
 graua vtcunque initia pestilentix vidi, quæ ta-
 men hac prudentia & in eiusmodi habitacula
 separatione (habent enim ea semper instructa)
 ac sanorum ægrorumq; sequestratione, præter
 alia industriæ genera, breuissimo tempore, ma-
 gna ex parte fuere sedata. Adeo verum est, quod
 prouerbio dici solet: Ignem fugiat oportet, qui
 vult effugere fumum.

Secundus finis magis seruiet his, quos propè 2.
 quidem est periculum, sed qui nondum tamen
 eo sunt polluti. Cùm enim multorum ædes val-
 de sint incommodæ, magisq; ad fouendâ, quàm
 corrigendam putredinem aptæ: item cùm ho-
 mines, qui eas incolunt, sæpe tenuis fortunæ vel
 personæ serviles, vel natura imbecilles sint, qui
 etiam ad nomen tanti morbi exhorrescunt, vn-
 de maiori quoque in discrimine versantur, sic
 hos è funestatis suis educi velim, vt continuo in
 læmodochium traducantur, atque hîc eadem
 omnino ratione tractentur, qua antea, cùm in
 propriis ædibus inclusi essent, tractandos dixi,
 nisi quòd hîc liberum aerem, & exeundi pote-
 statem habere possint, si prodire foràs animi
 recreandi causa voluerint. Quot dies verò ad
 mundificationem eorum, qui ita deducti sunt,

requirantur, vt liberè in vrbè & hominum frequentiam redire possint, quoniam non satis tutò omnibus idem temporis spatiũ præscribi debet, aut potest, medicis tanquam huius feræ lepræ presbyteris hoc iudicium relinquendũ est. In quam sententiam sic loquitur Lutherus in libello de peste, eandẽ tractans materiam, quam nos in præsentiarum præ manibus habemus: Si Deus (inquit) in veteri Testamento, eos separari, & extra oppidum seduci iussit, qui lepra inquinati erant, ad euitandum contagium, quantò iustiùs ergo nos idem in hoc periculoso morbo faciamus, vt statim simul atq; aliquis ea afficitur, vel sua sponte se ipsum remoueat, remouendũ ve curet, quò tẽpestiue contagium extinguatur, non vnus illius ægri tãtũ, sed totius societatis ac vniuersæ vrbis, quæ, si infectis ad alios exeũdi libera detur potestas, hac ratione possit contaminari. Nam talis est nostra hoc tempore V Vitebergensis pestis (loquitur autẽ de anno 1527) tantũ videlicet ex contagio vt orta, sic hucusq; progressa videatur. Aer enim (laus Deo) adhuc purus & salubris est, merãq; temeritate & negligẽtia pleriq; & quidẽ per pauci infecti sunt: quãuis insolito terrore Sathan nos turbet & pusillanimes reddat. Ludit (enim) in humanis vario aduersarius astu cordibus, & vano concutit illa metu.

Hoc ergo consiliũ viri prudẽtissimi nõ parui faciendum, sed sedulò imitandũ ego quidẽ censeo,

feo, quamdiu cōmodè possumus, cū videlicet *Eccles. 18.*
 morbus adhuc in principio est, & neq; plurimos, *Perf. Sat. 3.*
 neq; in pluribus partibus remp. inuasit. quò hoc
 nostrū cōsiliū potissimè tēdit, vt sit magis præ-
 cautio huius mali, quàm eiusdē experientia. Nā
 cū mala per longas inualuēre moras, vix pru-
 denter & constāter aliquid fieri potest, sed teme-
 rē itur, & multa ferenda sunt: sicut multa teme-
 rē rimatur nauclerus, cū mare iam sulcās, in-
 certus est periculorum & salutis. Non quòd vn-
 quam à recta ratione, etiam si successus pro ra-
 tione non respondeat, velim recedi, quod planè
 & ex diametro cōsilio reuerendi senis Hipp. no-
 stri repugnaret: sed fit, fit (inquam) vt quemad- *2 aph. 52.*
 modum in feruore belli, & inter arma (vt dici so-
 let) leges silent, sic quoq; in hac angustia ac tristi
 rerum statu exiguus respectus habeatur, vel o-
 ptimi rectissimiq; ordinis. Nam sicut ibi modò
 vexillifer, modò antesignanus, aliquādo triarij
 aut tribunus, nonnunquam & dux ipse militiæ,
 cuius nutu omnia rectè gubernari solent, ex im-
 prouiso è medio tollūtur: ita hīc, vbi strages nō
 minor, sæpe etiam maior accidit, non tantū
 vulgares ciues, sed ipsi quoq; nonnunquam, pe-
 nes quos hanc, quam describimus, politiam ad-
 ministrandi autoritas est, insperatò abripiūtur,
 atque vnà cum gubernatore perit clauus. Cui
 fortunæ, vt tempestiuè occurratur, hæc nostra
 qualiscunq; institutio suscepta ac proposita
 est.